

660. — *R. ad 4^m Quæ. Affirm.* Ratio est, quia jam verificatur sollicitationem factam esse occasione confessionis. Negant tamen plures, quia, aiunt, sollicitatio non est proxima confessioni faciendæ, sed potius conventioni de facienda confessione. Sed *S. Lig.* ait hoc non officere quominus sollicitatio dicatur facta occasione confessionis. Quare primæ sententiæ omnino subscribit.

CASUS

DE OFFICIO CONFESSARII

SCILICET

De Confessario ut doctore et iudice; de agendi ratione Confessarii cum penitentibus in occasione peccati versantibus; cum consuetudinariis et recidivis; cum pueris; cum moribundis; cum sponsis proxime nupturis; de defectibus a Confessario reparandis.

CASUS I.

CONFESSARIUS UT DOCTOR.

CURTIVS, Confessarius, magna pœnitentium turba omnis generis circumdatus, quam plurimis satisfacere cupiens, parum curat de pœnitentibus edocendis adhortandisque, et vix unam alteramve interrogationem interjicit, ratus se ad nil aliud teneri, saltem *sub gravi*. Hinc plerosque absolvit inscius an sufficiente doctrina polleant, necne; plures evidenter ignaros, ut pueros et rudiores, a se facile dimittit, donec per se aut per alios, v. g. per parentes, instruantur; quod præstat etiam erga eos qui examen neglexisse videntur. Si quando pœnitentes videantur ex ignorantia peccasse, eos edocere omittit, ne formaliter saltem gravius peccent.

LONGINUS autem, timens semper ne muneri suo deficiat, ab interrogandis, instruendis, adhortandisque pœnitentibus finem non facit, innixus hoc principio, scilicet: *Confessarium respondere coram Deo de solo pœnitente nunc confitente, non autem de cæteris expectantibus*. Hinc sedulo satagit pœnitentes examinando perscrutari, ignorantiam ab omnibus excutere, quantumvis invincibilem, licet prævideat eos monitis non esse obtemperaturos; quia, inquit, *si non obtemperent, id sibi imputare debent*.

HINC :

- QUER. 1^o *An quid teneatur Confessarius ut doctor?*
 2^o *An ignaros examinare et instruere debeat?*
 3^o *Quantum, vel quomodo eos instruere teneatur?*
 4^o *An semper instruere debeat vel possit pœnitentes ex ignorantia sive vincibili, sive invincibili peccantes?*
 5^o *Quid de utroque Confessario sentiendum?*

SOLUTIO :

661. — *R. ad 1^m Quæ.* Confessarius, ut doctor, tenetur pœnitentes docere ea omnia quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ hic et nunc recipiendum, quia ut minister Sacramenti ejus validam et licitam adminis-

trationem procurare debet; tenetur etiam doctrinam ad salutem necessariam eis tradere. *S. Lig. n. 607, etc. — Vid. Comp. n. 610.*

R. ad 2^m Quæ. Affirm. Juxta modo dicta Confessarius docere debet ignaros tum quæ sunt necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum, tum etiam obligationes christianas necessarias, id est, quibus ignoratis, hic et nunc christiane vivere non possunt, et quas ignorare videntur. Non tamen eos instruere debet in particulari de omnibus quæ illi scire debent, et aliunde scire possunt. *S. Lig. ibid.*

662. — *R. ad 3^m Quæ.* Non requiritur ut Confessarius taliter ignaros instruat, ut mysteria Fidei *doctrinaliter* vel *memoriter* sciant, sed sufficit si ita illos instruat ut ii rudi quodam modo ea capiant, assensumque præbeant, cum proposito ea melius addiscendi in posterum. Talem autem doctrinam Confessarius patiens ac prudens pœnitenti ingerere poterit, illi proponendo præcipuos Fidei articulos, ita ut ad singulos actum Fidei exerceat, v. g. sequenti modo: *Credis quod Deus sit unus in essentia et trinus in personis, etc., sicut Ecclesia credit?... Credis Filium Dei pro nobis fuisse incarnatum, passum, mortuum, et esse Redemptorem nostrum?... — Credis in genere quidquid credit Sancta Romana Ecclesia?... — Nunc vero doles de peccatis tuis, de incuria tuæ salutis..., quia offendisti Deum summe bonum, etc.? Proponis vitam emendare, occasiones fugere, etc., et insuper melius addiscere a tuo Parocho, vel ab aliis, ea quæ sunt salutis necessaria? Quod si hæc promittat, et actus Fidei præfatos sincere elicuerit, absolvi poterit. *Sic Elbel, n. 463, post Gobat, Sporer, etc.**

663. — *R. ad 4^m Quæ.* Pœnitens semper instrui debet in casu particulari, si ejus ignorantia videatur *vincibilis*, quia talis ignorantia eum non eximit a peccato, nec proinde periculum est ne admonitus formaliter peccare incipiat, siquidem jam *formaliter* peccasse censetur. Si vero ignorantia sit *invincibilis*, monendus est quoties speratur fructus, secus ubi non speratur, quia inutilis et noxia evadit talis admonitio. Attamen instruendus est pœnitens in omni casu, si ex ignorantia peragat ea quæ principiis primariis juris naturalis, aut eorum conclusionibus immediatis repugnant, quia hæc diu ignorari non possunt. Item, si actus ex ignorantia positus in damnum commune redundat. Adde etiam, si pœnitens ipse interrogat Confessarium, quia interrogans jam in ignorantia invincibili non versatur. *S. Lig. n. 610 ad 616, et l. 1, n. 170. — Vide Comp. n. 611.*

664. — *R. ad 5^m Quæ.* 1^o CURTIUS muneri suo non satisfacit, nec quatenus doctor, nec quatenus medicus, ut ex dictis liquido constat; nimis enim præceps in confessionibus excipiendis, non satis curat de integritate confessionis procurandæ, neque de bono pœnitentis promovendo. Confessarius generatim attendere debet tantum ad confessionem quam hic et nunc peragit, non vero ad sequentes. Attamen in magno concursu pœnitentium piorum, qui frequenter confitentur et noxas leves tantum afferunt, celerius confessiones audire potest. 2^o CURTIUS magis adhuc arguendus est, ex eo quod rudes et pueros ignaros tam præcipitanter et dure a se repellat; auctor enim est quare isti a confessione deterreantur,

cum summo salutis periculo. *Recole dicta supra, in casibus 10 et 24 de Confessione, n. 452, 495, 496.*

665. — 2^o LONGINUS vero plurimum in alio excessu abundat. Etenim scrupulosius et minutius cum suis pœnitentibus agit; sicque seipsum et alios contorquet, atque fideles a Sacramentis amovebit. Valet sane principium quod Confessarius attendere debeat ad solum pœnitentem, qui hic et nunc confessionem peragit; sed non ideo quæstionibus minutis et tædiosa inquisitione, necnon importunis admonitionibus illum obruere et suffocare debet. Insuper imprudentissime agit, pœnitentes in omni casu e bona fide eruendo, quin attendat an fructus ex monitione sperandus sit, necne.

CASUS II.

CONFESSARIUS UT JUDEX 1^o.*De causa instruenda.*

GERVASIUS, Confessarius, 1^o præ celeritate et aliqua incuria, interdum unam vel alteram quæstionem de specie vel numero peccatorum faciendam prætermittit. 2^o Quando occurrunt devotulæ enixe rogantes ut accuratas interrogationes peractæ ab ipsis confessioni addere velit, indignabundus eas cito dimittit, etiam non impertita absolutione, data tamen communicandi licentia, dicens se ab illis satis superque detentum fuisse. 3^o Si accedunt rudes incompletam confessionem facientes, omittit interrogationes ad procurandam integritatem necessarias, quia, ait, *Confessarius non tenetur interrogare nisi juxta captum pœnitentis, et isti rudes minimum captum habent.*

HINC :

- QUÆR. 1^o *An vel quomodo gravis sit obligatio pœnitentes interrogandi?*
 2^o *An, et quatenus interrogandi sint vel absolvendi pœnitentes pii?*
 3^o *Quomodo Confessario agendum sit cum rudibus?*
 4^o *Quid de GERVASIO dicendum?*

SOLUTIO :

666. — *R. ad 1^m Quæ.* Per se datur obligatio gravis in Confessario interrogandi pœnitentes, quia Confessarius, quatenus iudex, curare debet ut, quantum satis est, causa iudicii sacramentalis instruat. Præterea constituitur ut pœnitentem non solum audiat, sed adjuvet ad suam obligationem debite implendam. Hinc :

1^o Graviter peccat Confessarius, si ex omissione voluntaria interrogationis alicujus debeat sequi grave damnum pœnitentis vel alterius, et illud damnum saltem in confuso præviderit. Graviter etiam peccat, si desit obligationi interrogandi quoad partem notabilem hujus obligationis, in eo complexu spectatam, v. g. si plerasque interrogationes de numero et

speciebus, scienter et voluntarie, sine rationabili causa omittat. Tunc enim graviter in officio suo delinquit, et irreverentiam gravem confessioni et Sacramento irrogat.

667. — 2^o Non autem graviter peccat, si ex levi negligentia, vel ex inadvertentia, plura etiam necessario petenda omittat. *Billuart, diss. 6, art. 10, § 2*, ubi sic loquitur: « Si ex levi negligentia, ex inadvertentia, ex memoriæ labilitate, humana distractione, spiritus defatigatione, nimia attentione in confessionibus audiendis, etc., aliquid etiam necessarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum: nemo enim tenetur cum tanta difficultate et morali impossibilitate alienos defectus supplere. »

668. — 3^o Major erit difficultas, si Confessarius omittat sine gravi ratione, et voluntarie seu ex gravi incuria, unam tantum vel alteram necessariam interrogationem, v. g. circa numerum aut speciem. Ex una parte videtur graviter peccare, quia supplet vices pœnitentis; pœnitens vero, si ad obligationem adverteret, nec ei satisfaceret, graviter peccaret. Attamen ex alia parte probabilius non videtur graviter peccare. Ratio est, quia in hoc apparet parvitas materiæ respectu totius obligationis in suo complexu spectatæ. Insuper, si admitteretur materiæ gravitas, onus maximum imponeretur Confessariis, qui semper in mediis anxietatibus fluctuant, timentes ne forte ex gravi negligentia interrogationem faciendam omiserint, et inde in oppositum excessum cum magno pœnitentium gravamine impellerentur.

Præterea, quamvis Confessarius suppleat locum pœnitentis, non tamen videtur esse tanto rigore obligatus ad interrogandum, sicut ille ad se accusandum. Confessarius enim præcise supplere non tanquam cautionem pro pœnitente assumens, sed potius tanquam auxiliator ejusdem. Adde etiam quod, si rigorosa comparatio inter utriusque obligationem admitteretur, millies onus Confessarii debitum pœnitentis excederet; cum pœnitens raro confiteri teneatur, Confessarius vero continuo, et sæpe tota die munus suum adimplere debeat.

669. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Necessè non est ut pœnitentes pii interrogentur, quando moraliter constat Confessario eos culpæ gravibus vacare, quia nulla confessionis integritas tunc procuranda est. Confessarius enim interrogare non tenetur, nisi advertat integritatem certo aut probabiliter in aliqua re deficere.

2^o Neque necessarium est ut pœnitentes pii, qui sæpius confitentur, toties quoties absolvantur, sed aliquando cum sola benedictione dimitti possunt, facta eis facultate ut ad sacram Synaxim accedant; quia jus strictum ad absolutionem non semper habent, quando sola venialia clavibus subjiciunt. Expediit tamen ut, generatim loquendo, absolutionis beneficio donentur.

670. — *R. ad 3^m Quæst.* Confessarius plerumque ipsemet examinare debet rudiores, quia sibi solis relictis non melius se examinabunt; et, si dimittantur ut accuratius se præparent, nunquam magis dispositi redibunt, imo, absterriti difficultate examinandæ conscientiæ, facile a confessione avertentur. *S. Lig. n. 607.*

671. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o GERVASIUS excusandus videtur a peccato gravi, *in primo casu*, cum paucas interrogationes faciendas de specie et numero peccatorum ex incuria omittat, quia officium suum, quoad substantiam, adimplere censetur. 2^o Ab omni peccato eximendus foret *in secundo casu*, si cum personis devotis humanius ageret. Numquid enim sunt cum indignatione tractandæ illæ animæ Deo gratæ, quia sincere pietatem sectantur, et potiore partem gregis Christi Domini constituunt? Equidem tempus non inutiliter cum ipsis terendum, sed etiam cavendum est ne animo dejiciantur. Neque beneficio absolutionis plerumque privandæ sunt, licet necessaria reconciliatione cum Deo non indigeant. 3^o Dammandus autem et graviter quidem GERVASIUS pro ratione agendi cum rudibus, quos sibimetipsis relinquit, nec sine periculo, imo cum certitudine, eos integritati confessionis non satisfacere. Deberet igitur eos interrogare, saltem juxta eorum conditionem et capacitatem, v. g. sequendo ordinem præceptorum Decalogi, etc., et quoad singula de peccatis magis obviis inquirendo. Hoc enim ipsorum conditionem et captum minime superat. *S. Lig. Hom. apost. n. 103.*

CASUS III.

CONFESSARIUS UT JUDEX 2^o.*Dispositiones ad absolutionem.*

SEVERUS, Confessarius, contendit absolutionem pœnitentibus difficillime concedendam esse, quia plerumque signa certæ dispositionis in illis deprehendi nequeunt; præter quod non licet uti probabilitate in materia Sacramentorum. Hinc ipse sibi constans in praxi, raro, et quasi invitus, absolutionem impertitur. Nec existimat peccatores prima vice qua accedunt unquam absolvi posse, quoties ab uno aut a pluribus annis a Sacramentis abstinerint, si solus mortis articulus excipiatur.

BLANDINUS, contra, facillime absolvit quoscumque pœnitentes sponte accedentes, quia *ultronea confessio est signum certum dispositionis*; et etiam eos omnes qui tantum affirmant, se vitam in melius mutare velle; quia, juxta receptum axioma: *Credendum est pœnitenti tam pro se quam contra se dicenti*. Quam praxim servat, etiamsi ab aliis fide dignis noverit esse de quibusdam pœnitentibus diffidendum.

HINC:

- QUÆR. 1^o *Quænam certitudo dispositionis pœnitentis ad concedendam absolutionem requiratur, et quænam signa doloris ut sufficientia habenda sint?*
- 2^o *An spontanea confessio sit testimonium sufficiens dispositionis pœnitentis?*
- 3^o *An liceat, oporteat, vel expediat absolvere prima vice quoslibet pœnitentes, qui sat dispositi videntur, licet a multo tempore non fuerint confessi?*
- 4^o *Quid de utroque Confessario, seu quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

672. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Sufficit certitudo moralis lata, quæ in veram probabilitatem resolvitur, seu iudicium prudens innixum in motivo gravi *comparative probabiliori*. 2^o Signa autem doloris *ordinaria per se* sufficiunt, scilicet, si pœnitens candide et humiliter confiteatur; si asserat ex corde se dolore; si peccata sincere videatur declarare. *S. Lig. n. 461. — V. Comp. n. 624-625.*

673. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirm. communiter*, si pœnitens nullo fine humano duci videatur, nisi specialis ratio contra illum militet: confessio enim spontanea magnam præsumptionem creat in favorem pœnitentis. *V. Comp. n. 625.*

674. — *R. ad 3^m Quæ.* 1^o Semper absolvi possunt prima vice, cum sufficienter dispositi videntur; pœnitens enim vere dispositus, seu ille qui talis apparet, semper absolvi potest. 2^o Absolvi autem debent, stante qualibet causa sat gravi, v. g. si absolutio facile differri nequeat, vel si dilatio ei esset valde gravis, etc., secus ad breve tempus remitti possunt, si iudicet Confessarius dilationem absolutionis eis profuturam esse, ad meliorem nempe præparationem præmittendam, aut uberiorem fructum ex Sacramento percipiendum. *S. Lig. n. 459-462. — V. Comp. n. 632-633.*

675. — *R. ad 4^m Quæ.* — *Ad primum casum.* SEVERUS in omnibus errat, ut ex dictis liquido constat. Falsum est plerumque signa dispositionis sufficientis deprehendi non posse. Imo præsumi debent in pœnitente ad confitendum libere accedente, nisi signa positiva et majora in contrarium habeantur. Falsum est quoque requiri certitudinem absolutam dispositionis pœnitentis ad absolvendum, sed requiritur tantum ea certitudo moralis valde lata, quæ naturæ Sacramenti Pœnitentiæ ab hominibus administrandi congruit. Christus enim illud instituit, ut a Ministris hominibus frequenter conferri posset. Quomodo autem frequenter conferri posset peccatoribus, si rigida certitudo de pœnitentium dispositione requireretur? *V. S. Lig. n. 461 et seq.*

676. — *Ad secundum casum.* BLANDINUS plerumque quidem laudandus est; sed in hoc errat, quod in regulis generalibus adeo inhæreat ut nullas exceptiones admittere videatur, licet quandoque reapse in praxi admittendæ sint pro variis rerum circumstantiis. Ex iis enim aliquoties certitudo moralis contra pœnitentem erui potest.

CASUS IV.

CONFESSARIUS MEMORIÆ BREVIS.

GUIDO, Sacerdos, infelicis memoriæ (quidquid sit de iudicio), ne pœnitentes perturbet, remittere solet ad finem confessionis interrogationes faciendas, remedia præscribenda, oneraque restitutionis imponendæ, occasionis derelinquendæ, etc. Sed non raro, absoluta pœnitentis narratione, de indagandis injungendisve, imo et de ipsis peccatis penitus

oblitus est. Quid tunc miser? Rudiores adigit ad confessionem compendiaro repetendam, cultiores vero in pace relinquit, ne illos offendat; et, re dissimulata, confestim absolvit, nesciens quidem quandoque quid absolvat.

HING :

QUÆR. 1^o *Quomodo et quando faciendæ sint interrogationes?*

2^o *Quænam notitia status pœnitentis requiratur ut valide et licite absolvi possit?*

3^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

677. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Quomodo faciendæ sint interrogationes? Interrogationes debent esse moderatæ, discretæ, opportunæ, etc. *V. Comp. n. 615.* — 2^o Quando autem faciendæ sint? Præcipuæ interrogationes breviter faciendæ sunt post singula peccata, ne e mente excidant; quædam tamen faciendæ sunt plerumque ante confessionem, v. g. a quo tempore pœnitens non sit confessus? an absolutus fuerit? etc. : nisi pœnitens sponte hæc dixerit, etc. *V. Comp. n. 617. — S. Lig. Praxis Conf. n. 20.*

678. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o *Ad validitatem*, sufficit ut Confessarius habeat præsentem aliquam materiam etiam minorem, seu satis est si cognoscat pœnitentem in aliquo peccasse, sive de vita præsentis, sive de vita præterita; quia, hoc posito, habetur quidquid ad rationem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur.

2^o *Ad liceitatem*, sufficit ut Confessarius recordetur, saltem *in confuso*, status pœnitentis. *Ita S. Lig. n. 502*, ubi hæc habet: « Commune est apud Doctores non esse repetendam confessionem factam eidem Confessario, quando illa fuit proluxa, aut absolutio fuit dilata, et Confessarius recordatur, saltem *in confuso*, status pœnitentis. » Sic etiam *Lacroix, n. 1216*, cum aliis. Ratio est, quia Confessarius, in actu confessionis, jam sufficiens iudicium de singulis peccatis tulit. Præterea, si requireretur notitia integra omnium peccatorum ad absolvendum, onus intolerabile Confessariis et pœnitentibus imponeretur; Christus autem sapientissimus onus intolerabile in confessione imponere noluit. *Recole dicta de satisfactione, n. 525 et seq. — V. Comp. n. 421 et 512.*

Imo, juxta *Suarez et Lugo*, Sacerdos, licet oblitus sit status pœnitentis, et nesciat qualem pœnitentiam imposuerit, dummodo recordetur pœnitentem fuisse dispositum et pœnitentiam acceptasse, potest postea sine alia notitia absolvere.

Sic enim *Suarez*: « Si jam imposuit pœnitentiam, non indiget memoria peccatorum, imo nec pœnitentiæ impositæ etiamsi Navarrus id dicat; sed satis est ut recordetur hunc pœnitentem fuisse rite confessum et bene dispositum, et quod postea nihil grave commiserit, in quo ejus testimonio standum est. Si vero pœnitentiam non imposuit, et neque in particulari, neque secundum aliquam confusam et moralem rationem recordatur status conscientie ipsius pœnitentis, postulare debet

« iteratam notitiam, ut imponat pœnitentiam condignam. » *Suarez, D. 22, sect. 6, in fine.*

Sic autem *Lugo* : « Si prior confessio facta fuit Sacerdoti judici, atque « adeo ex se fuit sacramentalis, et Sacerdos pœnitentiam imposuit; « postea, licet oblitus sit status pœnitentis, et nesciat qualem pœniten- « tiam imposuerit, sed recordatur pœnitentem fuisse dispositum ad abso- « lutionem, et pœnitentiam accepisse, poterit postea Sacerdos sine alia « notitia absolvere. » *Lugo, de Pœn. disp. 16, sect. 15, n. 636.*

679. — *R. ad 3^m Quæ.* Male fecit Guido, remittendo ad finem confes- sionis omnes faciendas interrogationes, præscribendaque onera seu re- media, ob periculum oblivionis. Quivis alius ita agendo imprudens foret; quanto magis Guido, qui memoriæ infelicis probe se novit esse?

CASUS V.

METHODI

Ad memoriam Confessarii adjuvandam.

NICOLINUS, Missionarius, in media pœnitentium turba die noctuque, de conscientia fidelium qui apud se jam confessionem inchoarunt ne *in confuso* quidem recordari potest. Cum autem abhorreat a methodo sociorum, pœnitentibus tradentium quasdam schedulas secretis signis refertas, quibus memoria peccatorum accusatorum revocetur, jubet confessionis factæ repetitionem. At de gravi injustitia et imprudentia accusatur ab aliis Confessariis, quos ipse vicissim de singularitate apud Theologos inaudita redarguit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quænam media adhiberi possint ad memoriam Confessarii, et præsertim Missionarii, juvandam?*

2^o *Quid de præfatis methodis judicandum?*

3^o *Quid speciatim de praxi NICOLINI?*

SOLUTIO :

680. — *R. ad 1^m Quæ.* Media illa ad triplicem classem revocari possunt, scilicet ad methodum *interrogationum*, vel *pœnitentiarum*, aut *schedularum*.

1^o *Methodus interrogationum.* Sic Confessarius procedere potest : primo inquirat a pœnitente, qui alio tempore jam confessionem inchoavit, a quo tempore absolutus fuerit? Si respondeat : *a duobus, vel pluribus annis*, jam statim deprehenditur qualis generis sit ille, seu homo de salute valde incuriosus, pluribus peccatis mortalibus inquinatus ob omissionem confessionis annuæ et Communionis paschalis. Interroget etiam an inchoata tantum, aut ad finem deducta fuerit confessio, et utrum ipsi aliquid particulare injunctum, vel quid statutum fuerit? Sæpe hæc pauca sufficiunt, ut memoria saltem confusa pœnitentis resumatur. Quod si hoc non

sufficiat, instet dicendo : « Non bene tui recordor; vellesne dicere quid- quid præcipuum erat in tua confessione? An pravas habueris cogitationes..., etc. » Juvabit autem plurimum, prima vice qua accedunt pœniten- tes, si Confessarius eos instruat de modo se manifestandi quando ad perficiendam confessionem redibunt; v. g. : *Mihi in mentem revocabis hoc, vel illud...*, puta *circumstantiam singularem*, vel *professionem*, etc.

681. — 2^o *Methodus pœnitentiarum.* Confessarius admoneat sedulo pœnitentem, ut attente audiat retineatque pœnitentiam ipsi injungendam, et diligenter adimpleat; insuper plerumque addat se interrogaturum illum redeuntem utrum eam adimpleverit; postea imponat pœnitentias speciales, quantumvis leves, sed varias pro variis pœnitentium statibus, seu pro variis peccatorum generibus, ita ut, de pœnitentia recordando, statum pœnitentis, *saltem in confuso*, recognoscat. Sæpe juvabit imponere pœniten- tias quasdam medicinales, ex quarum natura peccatorum memoria in mentem sponte sua redeat, v. g. actus fidei pro peccatis contra Fidem; actus caritatis pro peccatis odii vel vindictæ, vel etiam aliquam orationem fundendam pro inimicis; modicam eleemosynam pro variis injustitiis; invocationem B. Virginis Immaculatæ pro peccatis contra castitatem, etc. Si tamen pœnitens multiplici vitio inquinatus sit, pro uno tantum aut pro altero imponenda esset memorialis pœnitentia; secus enim pœnitens omnia opera injuncta facile oblivisceretur. Quod si, non obstante omni cura Confessarii, pœnitens injunctæ pœnitentiæ fuerit oblitus, ad interrogatio- nes prudenter recurrendum erit. *Meth. Vesuntina, c. 7, art. 1.*

682. — 3^o *Methodus schedularum.* Confessarius præparet libellum in cujus foliorum margine tot numeros ponet, quot ipsi occurrere possunt pœnitentes in decursu Missionis, totque schedulas aliquo numero signatas aut signandas in libello reponat. Dum vero audit primum pœnitentem, adnotet in libello juxta numerum primum, signis sibi notis, cujusque statum, et finita confessione, schedulam ipsi tradat, eundem numerum primum referentem et ab ipso redeunte reddendum; quare, ex collato numero, qualis sit pœnitens uno ictu oculi facile patebit. Secundo autem confitenti secundum tradet numerum, et idem cum aliis occurrentibus præstabit.

683. — *R. ad 2^m Quæ.* Seu, quid de variis methodis judicandum? Suadenda est præ aliis *methodus pœnitentiarum*; minoribus enim incom- modis obnoxia est quam cæteræ, præsertim tertia. Verum aliquando evenit ut pœnitentes injunctæ pœnitentiæ obliviscantur, sed non adeo frequenter evenit, si Confessarius sollicitus sit eam menti pœnitentis bene inculcare; et insuper, deficiente memoria pœnitentiæ, facile ad interrogationem Con- fessarius recurrere potest.

Minime autem suadenda *methodus schedularum*, quæ maximis scatet incommodis; sæpe enim amittuntur schedulæ, et frequentius ex inadvertentia commutantur, v. g. si schedulæ matris et filiæ in eodem libro præ- cum reponantur, et tunc error est gravissimus, et violationem sigilli sa- cramentalis inducere potest, puta si Confessarius indebite juxta numerum erroneum interroget. Insuper quantum videtur incommodum, quod Con- fessarius sæpe lumen accensum juxta se habere debeat, ad signa in libello exaranda, vel relegenda!